

## 9. Rechte und Pflichten des Kustos des Grossmünsterstifts in Oberhausen und Stettbach sowie der Eigenleute

### 1370 Mai 4

**Kommentar:** Diese lateinische Fassung der Öffnung von Oberhausen ist nur als Abschrift im Kelleramtsurbar des Grossmünsters überliefert, eine originale Ausfertigung ist nicht erhalten. Die vorliegende lateinische Fassung bildet die Vorlage der deutschen Version von 1393 (SSRQ ZH NF II/11, Nr. 12). Die deutsche Version ist kürzer gehalten und enthält keine *Invocatio*. Die lateinische Version weist 19 Artikel auf, die deutsche Fassung 20 Artikel, deren Reihenfolge ab Artikel 6 beinahe dieselbe ist, abgesehen von Artikel 4 der lateinischen Version, der in der deutschen Version als Artikel 14 eingeschoben wurde. Der erste Artikel der deutschen Fassung hat keine direkte Entsprechung in der lateinischen Fassung. In dieser älteren Version nennt sich zu Beginn Werner von Rinach als *Thesaurar*, in der jüngeren Diethelm von Görwihl. Die Tatsache, dass diese lateinische Version nicht wie bei den Höfen in anderen Dörfern in den Statutenbüchern enthalten ist, lässt vermuten, dass diese Rechte erst nach 1346, vielleicht tatsächlich erst unter Werner von Rinach verschriftlicht wurden.

Rotulus conventionum inter custodem et villanos

In nomine domini amen. Sciendum est, quod anno nativitatis eiusdem 1370 die quarta mensis mai qui fuit annus proximus electionis mei Wernheri de Rinach thesaurarii et canonici ecclesie prepositure Thuricensis Constantiensis diocesis, ego Wernherus thesaurarius in villa Oberhusen habui placita generalia, nuncupata meientãding, et tunc iuxta consuetudines hactenus per thesaurarium ecclesie suprascripte observatas ex affirmatione villanorum ibidem existentium, morantium et convocatorum ad mei Wernheri inquisitionem et investigationem et villanorum predictorum in iure responsionem et confessionem reperta sunt iura et onera ac iurisdictionis thesaurarii hominum ville et curiarum ibidem morantium et existentium in modo, qui subinfertur.

[1] Et primo tunc fuit ibidem iuridice probatum, quod in Oberhusen iurisdictionis temporalis in omnibus causis civilibus pertinet ad thesaurarium ecclesie prepositure prefate et cum districtu eiusdem ville a rivulo nuncupato der Sebach usque infra pontem nuncupatum die Glattbrugg ad longitudinem et latitudinem, longitudinis trium virorum aut quod unus vir tribus vicibus cum ambo- bus / [fol. 78v]<sup>a</sup> brachiis extentis posset mensurare, in vulgari drier klafter lang. Et ubi illa longitudo et latitudo terre infra pontem prefatum situate esset clausa vel obstructa per sepes, ostiola, fossatum seu quovis alio modo, illa debent aperiri villanis de Oberhusen quancumque et quocienscumque voluerint et eis necessarium videbitur per homines ad quos latitudo seu longitudo eiusdem terre dinoscitur pertinere; et ubi non aperirentur, extunc villani in Oberhusen possunt aperire sine contradictione quorumcunque.

[2] Item omnia parva iudicia et omnes questiones civiles ibidem pertinent ad thesaurarium ecclesie supradicte exceptis causis criminalibus, in vulgari nuncupatis tÿp und frefen.

[3] Item si quando villani eiusdem ville Oberhusen citati fuerint coram iudice seu officiali curię Constantiensis ratione debitorum et huius citationis intimaverint thesaurario supradicto, ipse thesaurarius cum ipsis coram iudice seu officiali supradicto debet comparere et allegare forum et offerre debet se velle facere iusticiam querelantibus et etiam ipsis iusticiam facere debet; sed ubi isti citati huius citationis thesaurario non intimarent, extunc per se debent comparere et se defendere.

[4] Item omni anno thesaurarius supradictus debet habere placita generalia tempore estivali et hiemali, in vulgari nuncupata meientåding und herpsttåding. Et cum thesaurarius huiusmodi placita per se vel alium vult habere, debet facere citari vel vocari per suum officialem omnes, quorum interest, et specialiter omnes, qui aliqua bona possident a thesaurario supradicto. Et ista placita tempore estivali debet habere prima die mensis mai, seu autumnii, et tunc omnes habentes bona immobilia in longitudine vel latitudine septem pedum si vocati fuerint dicta die primam diem huiusmodi placiti precedentem, tenentur comparere in illa die placiti coram thesaurario supradicto seu tunc pro ipso presidenti. Et quicumque illa die non comparuerit, condemnatus est ad mulctam trium solidorum usualium, alias ad vadia, in vulgari nuncupata einung, et ubi non vocaret eos vel aliquem ex eis, non vocati ad nullam iusticiam protunc thesaurario sunt obligati vel astricti.

[5] Item mollitor apud pontem nuncupatum Glatbrugge nulla pecora vel greges habere debet nisi dumtaxat unum canem et unam cattam.

[6] Item thesaurarius debet defendere villanos in Oberhusen et pro eis intercedere, ne compellantur solvere yminos et gabellas, in vulgari nuncupatas ungelt, in opido Thuricensi.

[7] Item ubi, quotiens et quando villani in Oberhusen inter se ordinant, imponunt seu faciunt vadia seu mulctas, in vulgari einung nuncupatas, propter faciendas sepes seu fossata ad defendendum segetes, agros vel prata vel ad metendum frumenta vel ad reserandum fenum vel in casibus similibus, in his casibus tercius denarius illarum mulctarum pertinet thesaurario. Sed in casu, ubi villani prefati propter potentiam et resistentiam illorum qui huiusmodi mulctarum penas inciderint duas alias portiones ipsarum mulctarum ipsos concernentes non possent conquirere, thesaurarius, antequam terciam partem sicut premititur ipsum concernentem exigat aut recipiat, debet auxilium prestare pro posse et ipsis villanis cooperari ut due partes ipsos concernentes similiter ipsi solvantur sicut ipsi thesaurario.

[8] Item itinera et actus de mensibus mai et autumnii, nuncupata in vulgari evaden, cum mulctis seu vadiis, vulgariter nuncupatur einung, pertinent soli thesaurario.

[9] Item thesaurarius prima die mensis mai cuiuslibet anni debet habere iudicium et tunc debet iudicare et iusticiam facere omnibus indifferenter super iuri-

bus et proprietatibus et hereditariis, super viis, semitis et itineribus publicis et per totum annum potest et debet iudicare super debitis.

[10] Item villani de Oberhusen vinum in quo sunt thesaurario obligati, quod est in summa quinque dimidium quartale vel plus vel minus, debet esse optimum vinum quod Turegi venditur preter unum, debent thesaurario solvere in festo beati Stephani prothomartiris [26. Dezember]. Et eadem die thesaurarius debet dare predictis villanis vinum solventibus unum prandium et ad bibendum in eodem prandio de vino quod solvunt.

[11] Item quicumque possidet bona thesaurarię in longitudine vel latitudine septem pedum, si ille moritur, sui heredes tenentur solvere unum mortuarium, in vulgari nuncupatum ein val, videlicet melius caput de pecoribus que habuit vel melius vestimentum aut melius panzerium uno dumtaxat excepto, nisi fors an heredes vel amice componerent ad gratiam thesaurarii se afferendo cum effectu. Et senior heres solvere debet huiusmodi mortuarium, nisi fors an bona heredum sint divisa, et illo casu quilibet heredum debet ad gratiam thesaurarii concordare cum ipso cum quolibet teneatur ad solvendum huiusmodi / [fol. 79r] mortuarium. Sed ubi una mulier succedit, nullum solvit mortuarium.

[12] Item villani in Oberhusen habent ius piscandi in fluvio nuncupato die Glatt undique in districtu eiusdem thesaurarii per circulum anni, quantum ipsi indigant ad comedendum, non tamen ad vendendum, sed in quadragesima possunt in eodem fluvio piscari ad vescendum et vendendum et alias in quemcumque modum voluerint aut ipsis utile videbitur.

[13] Item villani prefati habent unam piscinam, in vulgari nuncupatam ein langwat, in rivulo nuncupato der Ebach, et ibidem piscari possunt quando et quotiens voluerint ad vescendum et ad vendendum prout ipsis placuerit et per nullum debent impediri. Et ubi reperirent alios extraneos ibidem piscantes, illos debent et possunt prohibere, et ubi ad huiusmodi prohibitionem essent minus potentes, thesaurarius ad prohibendum premissa suum adiutorium ipsis tenetur impartiri et ipsos defendere.

[14] Item quicumque homines sunt residentes in villa Obrenhusen sive sint homines proprii monasteriorum loci Heremitarum, Augie Maioris, Sancti Galli, Sanctorum Felicis et Regule, exceptis hominibus qui habent ibidem possessiones conductas, in vulgari nuncupatas verlehent lüte, illi habent paritatem inter se, in vulgari ein gnosschaft, et ad invicem sine cuiuscumque contradictione possunt matrimonialiter coniungi et sibi ad invicem in bonis per ipsos in ipsorum morte derelictis succedunt. Et si nullum habent consanguineum in propinquo gradu, extunc non advocatus in Kiburg sed vicinus eorum vicinior in prefata villa Obrenhusen residens vel continuam moram trahens in dictis bonis per ipsos derelictis ut et tanquam heres vicinior succedit, succedere potest et debet.

[15] Item omnes illi homines de quibus premittitur, quotquot sunt in villa Obernhusen prefata sicut premittitur residenciam aut moram continuam trahentes, possunt, quando et quotienscumque volunt, residenciam in prefata villa deserere et ab ea recedere et ad residendum seu moram continuam trahendum  
5 ad alia loca, ubicumque voluerint, se transferre libere sine cuiuscumque contradictione. Et si volunt residere in opido Thuricensi, extunc statim cum intrando dictum opidum venerint ad petram magnam, in vulgari nuncupatam der Groß Flû, et illam precesserint ipsamque posttergaverint in nullo plus ob<sup>b</sup>ligati sunt vel astricti advocato in Kiburg ad serviendum vel obediendum, nisi forte  
10 cum<sup>c</sup> ipsorum recedentium vel recedentis recessum recedens in aliquam penam vel mulctam seu emendam inciderit advocato supradicto solvendam ad satisfaciendum de pena, mulcta seu emenda supradicta, advocatus in Kiburg eundem recedentem potest arrestare, capere seu detinere donec predicto advocato per recedentem vel recedentes prefatos fuerit satisfactum aut cum ipso  
15 amicabiliter concordatum.

[16] Item fossatum, dictum vulgariter der egrab, omni tempore debet patere omnibus et semper esse apertum in eum eventum ubi venirent inundationes aquarum, quod illa fossata defendunt transeuntes, ipsorum pecora et vecturas eorum. In casu autem ubi possidentes et habentes fossatum supradictum ip-  
20 sum fossatum non haberent apertum, emendare debent et emendam facere thesaurario, villanis eiusdem ville ac aliis, ad quos pertinet, secundum consuetudinem ville et districtus in Oberhusen.

[17] Item quandocumque thesaurarius supradictus habere vult placita generalia de mensibus mai et autumnii quemcumque villanum ville Obernhusen  
25 apprehens in oppido Thuricensi, illi villano precipere potest ut preintimet omnibus, quorum interest, terminum et dictum placitorum predictorum.

[18] Item similiter potest omnibus villanis supradictis et ipsorum singulis precipere ut visitent custodias, in vulgari nuncupatas efaden, sepium, hostiolarum et fossatum circa tempus estivale et autumnale, et dent<sup>d</sup> visitationum  
30 relationem et quicumque ipsorum ad mandatum prefati thesaurarii recusaret hoc facere, debet et tenetur solvere mulctam trium solidorum thesaurario supradicto.

[19] Item nullus vicinorum ville seu villanorum in Obrenhusen debent pecora sua ducere ad pascua seu almendas ville in Obrenhusen nisi de villanorum in  
35 Oberhusen consensu expresso processerit.

**Abschrift:** (1541) StAZH G I 140, fol. 78r-79r; (Grundtext); Papier, 29.5 × 43.0 cm.

<sup>a</sup> *Korrigiert aus:* cum ambobus.

<sup>b</sup> *Streichung:* g.

<sup>c</sup> *Unsichere Lesung.*

40 <sup>d</sup> *Korrigiert aus:* de.